

**Disputatio medica inauguralis, de rubeola ... / Eruditorum examini subjcit
Domingos Felis dos Santos.**

Contributors

Santos, Dominicus Felis a.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Joannis Paterson, 1795.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nzujzkwa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

DISPUTATIO MEDICA

DE

RUBRO

DISPUTATIO MEDICA

DE

DR

RUBRO

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DOMINGOS FELIS DOS SANTOS,

AMERICANUS BRASILIENSIS.

“ O quàm dura premit miseros conditio vitae !”

CORN. GALL. *Eleg.*

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS JOANNIS PATERSON.

M DCC XCV.

DEPUTATIO MEDICA

IMMORTALIS

RUBENOL A.

ANNUS DOMINI

D. GEORGI BARRD, S. S. T. T.

ACADEMIAE IMPERATORIAE

PHYSICAE

INSTITUTIONE FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORIS

CONSTITUTUM IN FACULTATE MEDICAE

INDICANTIS

DOMINGOS DE S. S. S. S.

AMICIS

"Oportet enim in rebus

Ad hunc et hunc hunc hunc

EDINBURGI:

CUM P. P. P. P.

THOMAS PATRICKSON

M. DCC. LXXV.

FRATRI DILECTISSIMO,
MANUELI REIBERO DOS SANTOS,

MERCATORI ULYSSIPPONENSI,

QUI

A PRIMA ÆTATULA

SEMPER ILLI CORDI

FUIT,

HOC OPUSCULUM

FRATERNO AMORE

MOTUS

D. D. C.QUE

FRATER AMANTISSIMUS,

DOMINGOS FELIS DOS SANTOS.

TRATTI D'ISTORIA

MANUELLI REBERO DOS SANTOS

MERCATORI ULTRAVISITAZIONE

ET

A PRIMA STATUA

SEMPER ILLE CORDE

TUT

MOG OTURCUM

TRATTINO AMORE

MOTUS

D.D.C. 1888

TRATTI AMANTISSIMI

DOMINGOS TILIS DOS SANTOS

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

AUCTORE DOMINGOS FELIS DOS SANTOS.

§. 1. **R**UBEOLA a CULLENO *Exanthematum*
ordine disponitur; et sic aptè defi-
nitur,

Synocha contagiosa cum sternutatione, e-
“ piphora, et tussi ficca, rauca.”

“ Quarto die, vel paulo feriùs, erumpunt pa-
“ pulae exiguae, confertae, vix eminentes, et
“ post tres dies in squamulas furfuraceas mini-
“ mas abeuntes.”

A

HISTORIA.

HISTORIA.

II. *RUBEOLA* veteribus GRAECIS medicis incognita erat, et forsitan inaudita; quippe cùm ex his, nemo quisquam memoriae quid de ea scriptum prodiderit. Eam primus omnium lucidè descripsit RHAZES; medicus ARABUS jure magni nominis, qui eam, ut per frequentem, et suis civibus peracerbam, fusè tractat.

III. Quo tempore in EUROPAM primùm importaretur *rubeola*, neutiquam satis constat. Ex silentio autem historicorum concludere aequum est, nondum latè in EUROPA, ante finem seculi duodecimi, grassatam esse.

IV. *Rubeola* est ex ASIA MINORE in EUROPAM adlata. Majores enim nostri, religiosissimi profectò homines; qui divino quasi spiritu instincti, vel sacro potiùs furore inflammati,

CHRISTO

CHRISTO auspice, signo cruce, præeuntibus belli gnaris, pro tempore, ducibus, in orientem infesto undique coacto agmine iter paludati fecerunt, ut vi armisque sanctam MAHOMETANIS terram eriperent; re infectâ, plurimisque fociorum ferro fameque occisis, domum, spe dejecti, et incognitâ antè *rubeolâ variolâque* turpefacti, rediêrunt. Turpibus sic inductis morbis, *sacrae expeditiones*, foedae inceptu, erant exitu itidem foedae.

V. *Rubeolâ*, enimvero, aequè ac pestiferis caeteris morbis plerisque, infantes, prae firmioribus aetate adultisque, tentantur; veruntamen nulla est aetas, quae fragile hominum genus adversus eam tutetur.

VI. Hic morbus speciali semper contagione efficitur. Quali verò naturâ haec polleat, omnes etiamnum ignorant medici, et in omne forsitan ignorabunt aevum.

VII. Utrùm ullus hominum *rubeolâ* unquam bis plectatur, dubium est. Profectò non defunt auctores, qui perhibent, se vidisse hominem bis, imo etiam ter, hoc morbo affectum. Hoc verò ab omnium ferè experienciâ adeo abhorret, ut eos, hac de re, vel credulos nimis fuisse, vel quodam lapsos esse errore, prorsùs existimemus.

VIII. Dictum est a nonnullis, *rubeolam* totidem ferè corripere, quot *variola*; et vix vigesimum quemque sive unâ sive alterâ immunem esse. Verumne fit hoc, necne, animo equidem incerti sumus; eòque magis, quòd hætenus nemo medicorum quisquam continuas confecit tabulas, ex quibus, inter se comparatis, utrùm ita fit, necne, certò comperiamur.

IX. Certiores nos facit SYDENHAMUS, *rubeolam*, mense ferè Januarii, grassari incipere, et, sub finem Julii, decedere. Verùm, licèt, quin ita
plerumque

plerumque fit, nemo utique medicorum possit dubitare ; tamen nullo mensium circuitu definitur, cùm praesertim omni haud rarò anni tempore grassetur.

X. *Rubeola*, pro modo quo invadit, vel *sporadica* appellatur, vel *epidemica* ; pro ordine, quo progreditur, vel *regularis*, vel *anomola* ; et, pro signis, vel *mitis*, vel *maligna*.

XI. Hujus morbi, mitis sive fit sive malignus, cursus tria *stadia* complectitur : quorum,

1. *Primum* pertinet a contagione admota, ad tempus, quo papulis exasperari cutis incipit, et *contagionis stadium* appellatur :

2. *Secundum* sese extendit, a tempore, quo papulis exasperatur corpus, usquequo hae detumescant, et nominatur *stadium eruptionis* : et,

3. *Tertium* comprehendit spatium, quod interfluit inter tempus, quo detumescere incipiunt papulae, et id, quo hae squamatim jam omnino deciderint; et *stadium desquamationis* dicitur.

XII. Haec (xi. 1. 2. 3.) praefati, signa unius stadii cujusque propria, ordine quo solent prodire, breviter enarrabimus.

XIII. *Stadium primum.*—*Rubeola* a solitis febris signis incipit. Initio horrescit homo; et, postinde, caloris et frigoris deinceps sensu afficitur. Die postero, febris omnibus sibi propriis notis insignitur, sibi, nimirum, calore, cibi fastidio, anxietate, aegritudine, et interdum vomitu. Aeger simul sternutat, tussit, aegrè spirat: turgescit facies: intumescunt palpebrae: oculi rubescunt, dolent, illachrymantur, neque lucem pati possunt; simulque liquor tenuis, imo etiam aliquantum acer, naribus effluit. Graviter interea dolet caput; pectus quasi coangustatur,
neque

neque rarè fugacibus doloribus affligitur; insuperque accedit veternus ferè ineluctabilis.

XIV. *Stadium secundum.*—Quarto plerumque die, cutis primùm faciei, deinde trunci, tum superiorum membrorum, postremò inferiorum, lenticulis rubris exiguissimis exasperatur; quae cum magnitudine tum figurâ permultùm variant. Quae enim truncum obsident, eae profectò ampliores ferè sunt, et distinctae: caeterùm eae, quae faciem asperant, confertae haud rarè conspiciuntur.

XV. Hujusmodi (xiv.) lenticulae, quae, imprimis in facienti, ex cute paululùm exstant, initio colore rubicundae sunt; tertio verò die quartove, postquam provenerint, fuscae fiunt. Cuticula deinde arida et hiulca facta, squamatum decidit; sic profectò, ut furfure velut aspersum relinquatur corpus.

XVI. Erumpentibus lenticulis, plerumque
remittunt

remittunt calor, anxietas, et vomitus; sed tussis, spirandi difficultas, et oculorum inflammatio, saepe aliquantum intenduntur.

XVII. *Stadium tertium.*—Tertio quartove post die, quàm provenerint lenticulae, febris incipit remittere, extremumque ubique infudare corpus. Solito simul uberius secernitur urina; vel, id profectò quod adhuc saepius est, solutè fluit alvus.

XVIII. 1. Quocunque (xvii.) profluvio laboret aeger, non temerè cohibendum nedum sistendum est; cùm praesertim, ejus ope solutus, saepenumero morbus ad sanitatem perducatur.

2. Alvus interdum ab initio quidem morbi fluit; sed plerumque non antè, quàm lenticulae squamatim decidere inceperint. Tantùm abest, ut soluta alvus detrimento aegrum afficiat, ut praenunciet potiùs morbi decessionem, et optatam ferè sanitatem polliceatur.

DIAGNOSIS.

D I A G N O S I S.

XIX. MORBI, qui *rubeolae* miti sese maximè affimilant, sunt *catarrhus*, *scarlatina*, *variola*, et *rubeola maligna*. Qua igitur ratione ab his internoscatur, breviter exponere, hìc loci, conandum est.

XX. 1. *Catarrho* et *rubeolae* sunt notae adeo inter se confimiles, ut hos morbos internoscere nequeat medicus, nisi penitùs perspectis causis, quibus uterque concitatus sit, et planè cognitâ grassantis morbi naturâ.

2. Si, dum grassatur *rubeola*, aliquis, quem hic morbus nunquam antea implicavit, signis suprâ (XIII.) comprehensis afficiatur; dubitari profectò vix potest, quin haec, utcunque iis *catarrhi* affimilia sint, ex contagione *rubeolosâ* provenerint. Si, quarto die, cutis lenticulis,

quales (xiv.) memoravimus, variari incipiat; tum, uter morborum adfit, diutiùs animo incerti esse nequimus.

XXI. 1. *Scarlatinam et rubeolam* genere convenire, et gradu tantummodo differre, MORTON opinatus est. Hunc verò auctorem opinione lapsum esse, nunc omnibus ferè medicis idcirco persuadetur, quòd hi morbi, unus altero, facilè dignosci possunt.

2. Tuffis enim molestissima, sternutamentum, et ex oculis distillatio, quae *rubeolam* insigniunt, neutiquam adsunt in *scarlatina*.

3. Quinetiam, in *rubeola* lenticulae paululum eminent ex cute, sic ut haec tactu aspera sit. Interstitia simul lenticularum albida sunt, et figurâ aut oblonga aut quadrangula. Contra ea, in *scarlatina*, cutis est tactu laevis; et maculae rubrae, quibus aspersa est, ampliores sunt ambitu, vel saltem earum latiùs quoquoersum patet rubor;

rubor; sic, ut summum ubique corpus quasi erysipelate rubeat.

4. *A.* In *scarlatina*, porrò, lenticulae multo diutius perstant, quàm in *rubeola*, et cuticula squamis amplioribus decidit.

B. Die, insuper, vigesimo primo secundoque, corpus extremum aquâ intercute tumescit; quae, paucos post dies, sponte evanescit, vasis bibulis absorpta, et in irrequietum delata sanguinem.

XXII. *Variola*.—Papulis nondum erumpentibus, diversos, quibus exasperatur cutis, morbos internoscere, in primis arduum est. Similitudine, quae *variolae* est cum *rubeola*, adducti, nonnulli medici utraque simul tractârunt. Utraque enim contagione speciali enascitur: utraque a febre incipit: utraque cutem papulis asperat: utraque, demum, hominum genus semel tantùm implicat.

XXIII. 1. Verùm, etiamfi haec (xxii.) sint *variolae* et *rubeolae* communia; tamen haud pauca sunt, quibus, una ab alterâ, differunt.

2. *Catarrhus*, si quando *variolâ* implicatum tentet, leuiusculus semper est, neque proprium hujus morbi, ut *rubeolae*, signum constituit.

3. *Maculae*, insuper, quibus, inter *variolam*, aspersa est cutis, non solùm diuturniores sunt, et cute magis exstant, quàm inter *rubeolam*, sed multo etiam sunt numero pauciores.

4. *Papulae*, porrò, *variolae* propriae semper, eae autem *rubeolae* nunquam, suppurant; et saepe deformatam cicatriculis relinquunt cutem.

XXIV. *Malignâ rubeolâ benignam* clarè dignoscere majoris fortasse momenti est, quàm hanc morbis modò (xx.—xxiii.) memoratis.

XXV. 1. Signa suprà (XIII.—XVIII.) memorata, etiam *rubeolae malignae* communia sunt. In hoc verò morbo, multo major est vis omnium, ab initio, signorum, imprimis languoris et debilitatis.

2. In *maligna rubeola*, multo vel ociùs vel ferius efflorescit cutis, quàm in *miti*. Modò enim, ut certiores nos faciunt SYDENHAMUS et WATSON, lenticulae secundo die apparent; modò, ut testatur MORTON, etiam primo: contrà, modò non in conspectum veniunt, ante decimum septimum aut vigesimum.

3. Quinetiam, non solùm sic (XXV. 2.) tardiùs interdum proveniunt lenticulae, sed tardiùs etiam numerum haud rarò complent. Imò verò, totam simul cutem perrarò occupant, sed alias hujus, post alias, deinceps partes.

4. Colore, porrò, lenticulae, quibus insignitur *rubeola maligna*, aliis atque aliis aegris et temporibus,

poribus, variae sunt. Rubicundae enim interdum sunt; aliàs rubellae: modò lividae; modò subnigrae.

5. Flaccet, denique, cutis; neque, id profectò quod a SYDENHAMO accipimus, lenticulae, quibus variatur, squamatim evanescunt.

C A U S A E.

XXVI. *Rubeola*, ut suprà (vi.) memoravimus, semper speciali concitatur contagione; quae, haud secùs ac ea qua efficitur *variola*, intermedio aëre vulgatur.

XXVII. Quali verò naturâ fit haec (xxvi.) contagio, ex toto nescitur. Subtilis enim adeo est, et incomprehensibilis quidem, ut *chymicus*, utcunque curiosus, quid sit, comperiendi, atrectare prorsùs nequeat. Quocirca, ignoratur, non solùm qualis in circumfluo aëre existat, sed

sed etiam quàm longè, hujus interventu, ex proprio fonte pateat aut vehatur.

XXVIII. Certò quidem scimus, aëra, contagione inquinatum, cùm externo corpori admove-
veri; tum per asperam arteriam, dum spiritum accipimus, in pulmones irruere; imò etiam, fallivâ commistum, in ventriculum devorari. Verùm, utrùm tamen ullâ harum, necne, viarum in corpus humanum invehatur, nondum exploratè cognitum habemus.

XXIX. Utrùm *rubeola*, tanquam *variola*, in corpus arte inferi possit, necne; et utrùm aliquantùm, necne, mitesceret insita; periculo nondum fatis compertum habemus.

XXX. Quibus vulgetur contagio, et qua aëris constitutione minuatur ejus vis aut intendatur, nondum fatis constat.

XXXI. Neque profectò meliùs scitur, quid
fit

fit *proxima rubeolæ* causa. In varias enimvero, hac de re, partes disputatum est; atque medici exponere summopere conati sunt, quomobrem cùm *rubeola* tum *variola* eundem hominem semel tantummodo afficiat.

XXXII. Sed vanæ inanesque omnes sunt rationes, quas, hunc (xxxI.) in finem, excogitarunt; et animo quidem incerti sumus, an res non eâ sit naturâ, ut nemo explicare queat. Ignoratur enim, tum quam in partem corporis primùm agat admota contagio; tum, qua in parte, nova contagio generetur.

XXXIII. Cùm ita (xxxII.) fit, dicere, *proximam rubeolæ* causam esse quandam aut nervorum, aut vehementium sanguinem vasorum conditionem, est fucosâ utique sapientiâ ignorantiam prodere. Quapropter, ficta omnia aspernantes, reconditæ adeo causæ ignaros profiteri, quàm conjecturalem animove arroganter præsumptam in medium proferre, malumus.

PROGNOSIS.

P R O G N O S I S.

XXXIV. Faustus plerumque hujus morbi eventus praedici potest. Verùm, si quando inscienter curatus fuerit, vel atrociùs graffetur, tristem interdum exitum, si non lethiferum, habet.

XXXV. Impuberibus, et alioquin sanis, minus periculi affert *rubeola*; plus autem adultis, et quoquomodo debilitatis. Periculosa etiam est, cùm solito vel maturiùs vel tardiùs proveniunt papulae. Hic verò loci, quae signa bonum praemoneant venturum, quae malum praemonstrent, fusiùs dicendum est.

XXXVI. Si, papulis provenientiibus, remittant febris et *catarrhus*; si papulae rubicundae evadant; si cutis ubique temperatè calida fit; bonum est.

XXXVII. 1. Contrà, ubi febris, tuffis, et spirandi difficultas pòst increfcunt, quàm pro-
venerint lenticulae; ubi alvus folutè et diu flu-
it; malum eft: cùm praefertim illa figna, pul-
mones inflammationem concepiffe, indicent.

2. Quinetiam, cùm lenticulae folito maturi-
ùs apparent; cùm, ab initio ufque, infignis de-
bilitas adfuit; cùm lenticulae, feu papulae, ni-
grefcunt aut livefcunt; cùm delirium fuperve-
nit, et diarrhoea in dysenteriam degenerat;
malum iterum eft: quippe cùm ex his indiciis
nimis conftet, *malignam effe rubeolam*, timen-
damque ideo mortem.

CURANDI VIA.

XXXVIII. Oportet medicum, cujus fit *rubeo-
lam* curare,

1. *Primo*, insolitam, quae corpori inest, ad inflammationem proclivitatem corrigere; et,

2. *Secundo*, molesta interim signa mitigare.

CONSILIUM PRIMUM.

XXXIX. *Abstinentia*. Initio, lenis imprimis si morbus fit, nihil plerumque opus est aliud, quàm ab omnibus, quotquot incitant, abstinere.

XL. *Vomitum*, utpote qui, ineuntibus febribus, multùm plerumque proficiat, invadente *rubeolâ*, concitare haud alienum est.

XLI. 1. *Sanguinis detractio*. Rarò accidit, quin, *rubeolae* cursu, sanguinem, ferius ocius, mittere opus fit. Et quando autem, et qua copiâ elici debeat, ex signis judicandum est; im-

primis

primis ex iis quae inflammationem manifestent, atque e febre, tussi, et spirandi difficultate.

2. *A.* Si, ipso morbi initio, magna vis febris fit; et si inflammatio pulmones vel jam petîsse, vel petitura videatur; eliciendus, primo quoque tempore, sanguis est.

B. Sin, id quod saepius accidit, febris initio lenis fit, neque inflammationem capiant pulmones; sanguis non priùs detrahendus est, quàm cutis fuerit papulis exasperata. Imò etiam, interdum non opus est sanguinem priùs mittere, quàm ex summa cute squamulae deciderint; imprimis si nulla hucusque inflammationis signa apparuerint.

C. Intelligendum verò est, quocumque morbi tempore se prodat inflammatio, eo detrahendum esse sanguinem, ne hinc quid detrimenti aeger capiat.

3. Quantum autem sanguinis mitti debeat, optimè judicabit medicus, signorum vis et aegroti virium rationem habendo.

XLII. I. *Alvi exinanitio.* Eundem, porrò, (xxxviii. i.) in finem, alvum solvere perutile est. Hoc consilio, sunt mitiora tantummodo cathartica devoranda: ea, prae caeteris, quae corpus refrigerant, imprimis *sales neutri*. Caeterùm percommoda etiam sunt *manna, sena, et ricini oleum.*

2. Si quando, ut interdum accidit, ab initio morbi nimis fluat alvus; factu est optimum cathartica quaedam devorare, ex iis quae astringunt, radicem imprimis Ponticam.

XLIII. I. *Refrigeratio.*—Eodem, denique, (xxxviii. i.) consilio, proficit aegrotum acidis nativis, ex iis quorum stirpes nascuntur e terra,
paratis,

paratis, et *salibus neutris*, potissimum nitro, refrigerare.

2. Verum, etiamsi ita (XLIII. 1.) fit, minimè tamen prodest aëre frigido aegrum extrinsecùs refrigerare; cùm praesertim periculum fit, ne, hoc factò, papulae a summa cute retrocedant, et gravem hinc inflammationem pulmones capiant.

CONSILIUM SECUNDUM.

XLIV. SIGNA, ad quae animum figillatim advertere medicum oportet, sunt tussis; superveniens, sub finem morbi, diarrhoea; et inflammatio.

XLV. *Tussis*, quae molestissimum aegrum habet, levanda est medicamentis, ex iis quae fauces illinunt, et sic eas ab aëris acrimonia tuentur; oleosis nimirum quibusdam, mucosis, et dulcibus. Acida autem, hunc in finem, assumpta, neutiquam profunt.


XLVI.

XLVI. *Inflammatiō* five pulmonum five oculorum, quocunque morbi tempore superveniat, reprimenda est, non solūm medicamentis suprā (XLI.—XLIII. I.) memoratis; sed etiam exulceratione opportuna, et medicamentis, ex iis quae cutis exhalationem eliciunt. Porrò, ut per totum morbum, sic potissimūm cūm has partes petit inflammatiō, diaetā tenui vivendum est. Lacte igitur lactentibusque, utpote quae fatis nutrant neque nimis incitent, vitam tolerare aegrum oportet.

XLVII. *Alvi profluvium*, quod pōst supervenit, quām ex summa cute squamulae fuerint solutae, multūm, ut nonnulli existimant, idcirco proficit; quòd committit, ut morbi reliquiae corpore opportunè eliminentur. Quòd si ventris fluxus fit is, qui aegri vires multūm exhaustiat, opportunè temperandus est medicamentis, ex iis quae leniter astringunt. Nisi autem vires labefactet, non opus est, ut medicus eum cohibere

bere conetur; natura enim, utilitatis provida,
alvum tum concitando praecavet forfitan, ne ex
abforpta acrimonia quid detrimenti aeger capi-
at.

F I N I S.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT
530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60607

ANTHONY J. LEWIS

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE